

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Vita humana presens g  
cum fonte primo

Vita hec est uita dubia, uita ceca, uita erumpnosa quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores desiccant, aera morbidant, esce inflant, iejunia macerant, ioci soluunt, tristicie consumunt, sollicitudo coartat, securitas hebetat, diuicie iactant, paupertas deicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, meror deprimit; et post hec omnia mors interimit, uniuersis gaudiis finem imponit; ita ut cum esse desierint, nec fuisse putentur.

Augustinus in originali tractans illud Iacobi IIII.: Que enim est uita nostra? Vapor est ad modicum parens.

Utinam desinat et quam cito finiatur ista vita, vita dubia, vita caeca, vita aerumnosa, quam humores tumidant, dolores exterminant, ardores exsiccant, aera morbidant, escae inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristiciae consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiae jactant, paupertas dejicit, juuentus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, meror deprimit; et post haec omnia mors interimit, universis gaudiis finem imponens, ita ut cum desierint esse, nec fuisse putentur.

Auctor incertus (Augustinus Hipponensis?), *Speculum*, 1, 30 (PL 40, col.981).